



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 121. Mediolanses fidem suam Cæsari juramento obstringentes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI.

A.C. 1525.

§. CXXI.

*Mediolanenses fidem suam Cæsari  
juramento obstringentes.*

*Ant. de Vera  
loc. cit. p. 126.*

Percepto Sfortiæ responso Piscarius, quæ clam moliebatur, aperte prodebat, statimque Mediolanensis Ducatus Ordines convocans, Sfortiam læsæ Majestatis reum pronunciabat, cives vero, ut fidem suam sacramenti Religione Cæsari obstringerent, compulit. Postmodum Cremonense castrum juxta militaris disciplinæ Leges obsideri, arcem vero Mediolanensem profunda fossa cingi jussit; hac ratione Cæsar Mediolanum occupandi adeo verosimilem nanciscebatur obtentum, ut nec Papa, nec Veneti hanc ob rem jure conqueri possent, cum Cæsaris esset, debita pœna Sfortiæ perfidiam plectere, eoque quod conspirationis conscius idoneis testibus probaretur. Nihilominus summus Pontifex gravi in Piscarium indignatione concepta, eundem ingratitude, fractæque fidei reum arguebat, eidem exprobrans, quod variis artibus alios ad sua studia eo sine pertrahere conaretur, ut illos nefarie proderet, simulque in summi Pontificis exitium eo potissimum tempore conjurasset, quo ab eodem perpetuam Beneventani Ducatus administrationem accepisset, quamvis tum  
inter

inter omnes Ecclesiæ ditiones nulla re-  
ditibus amplior esset.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1525.

§. CXXII.

*Sfortia a Venetis in suo Ducatu  
defensus.*

Præterea Veneti majori quam Ponti-  
fex, cura angebantur; hi enim, si  
concordiæ pactis, quæ Martinus Car-  
racciolus apud Rempublicam Cæsaris  
Legatus erexerat, accederent, omnem  
recuperandæ libertatis spem sibi præci-  
di cernebant, si vero hanc pacem cum  
Cæsare rejicerent, merito verebantur, ne  
bellum ad continentem Reipublicæ ditio-  
nem extensum sustinere cogerentur; pa-  
lam enim minitabatur Piscarius, se captis  
Mediolanensi & Cremonensi arcibus  
mox infesta Venetis arma illaturum.  
Nihilominus potius extrema quævis  
aggredi decreverant, quam ultra Au-  
striacæ Domus imperium in Italia tole-  
rare: quapropter de honesto, quo ini-  
quum eorum consilium tegerent, ob-  
tentu parum solliciti, absque ambagi-  
bus Caracciolo aperiunt, fœdus, quod  
cum Cæsare a Venetis initum memo-  
rasset, eo duntaxat fine ictum fuisse, ut  
Sfortia in Ducatus Mediolanensis pos-  
sessione firmaretur; huic vero armorum  
societati Cæsarem nunquam accessu-  
rum, se haud obscure ex eo colligere a-  
jebant,